QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIX. MARTII,

M. GABRIELE BIARD, Doctore Medico, moderatore.

841.

Estne frigidæ potus ventriculo noxius?

VENTRICVLVS cibi & potionis receptaculum, ne alterutrius duritie facilè læderetur, duabus densissimis & firmissimis membranis quasi tergoribus contextus est: Habet & ille calorem plurimum, vt nulla corporis pars sit, cuius structura sit firmior, nulla quæ caleat æquè: Muniendo ventriculo studuit natura maximè quòd cæterorum viscerum princeps futurus esset, & illius integritate vis eorum omnis contineretur.

VENTRICVLI suus est & peculiaris calor, neque ipse mediocris, vt id omne quod suo excepit sinu, siue illud aridum sit, siue humidum, permutari, exteri & confici posset: fouetur is sanguine, quo plurimo perfusus est ventriculus, maximè verò complexu illo, quo iecur & lien feruida viscera ventriculum tenent: Validus ipse per se calor vtriusque visceris fomento augetur plurimùm, vt nihil extet quo ali reficíque corpus possit, quod illius vim effringere valeat.

AQVA quòd cuncta rerum frigore superet, frigidæ nomen obtinuit; varius Illius vsus, in potu plurimus est in eoque valdè commendatur, vt ad potum nihil illi proximum, nihil secundum habeatur: Certè Epota frigida, liquorum omnium qui bibuntur vna sitim prorsus extinguit, atque ea præcipua est potus ratio, vna potissimè ventriculum corroborat: quæ frigidæ vis eo maximè prædicanda nomine, quòd ventriculi robur maximi sit ad sanitatem, vitamque tuendam momenti, vt cui imbecillior sit ventriculus, is tenui, nulla potiùs sit valetudine, aut breui intereat necesse sit. Frigida porrò ad potum expetenda illimis, sapore & odore nullo, ὀλιγοφόρος, leuissima, sed quæ tenuitate duntaxat æstimanda sit, non staterâ expedenda: his autem salubritatis insignita notis, neutiquam etiam ægrotanti decoquenda.

FRIGIDÆ potu innatus ventriculi calor inualescit plurimùm, vt qui antea diffusus sese collegerit, & contractis poris compactior, fibrisque solidioribus firmior fit substantia, atque his τόνος & robur ventriculi consistit, vt is præcipuè potus noxius & infensus sit ventriculo, qui illius substantiam & calorem exoluit: Vtrúmque cum præstet epota tepida, mirùm quod nonnulli falsa delusi opinione existiment eum demum saluberrimum esse potum, qui ad teporem sanguinis proximè accedit: mirari etiam licet tepidam Veteribus in vsu fuisse frequenti, vt in conuiuiis nullus illis esset gratior potus, an quod hi in omnem effusi luxum decoquerent etiam salutarem frigidæ potum?

ADEO frigidæ potui consuescere multum est: Qui incendiariâ febre conflictatur, potu frigidæ, (quæ singulare huiusce febris remedium est) faciliùs sanatur, si frigidam bibere assuetus fuerit: quin etiam epota frigida, ab imminenti causi periculo vindicat, qui Sanus degit æstate, cælo feruidiore sitibundus, si cratera amplum frigidæ exsiccarit diffluit illicò sudore, scilicet innatus calor feruore aëris solutus & languescens frigidâ recreatus, sudore expellit malignum ichorem, quem exsiccatæ venę ebiberant, cuius morâ diuturniore causus accenderetur: Oculorum substantia neruosa est, eorum tamen acies exacuitur quotidiano frigidæ fotu: mulieres, quarum imbecillior calor est, & mollior corporis textura, abstemiæ sunt fermè omnes integra valetudine: Pueri, quorum tenella est corporis substantia, etiam recens à lacte depulsi, frigidam bibunt nullo ventriculi damno: vsque eò accommodata est hominis naturæ frigida, vt hydropotæ ætatis, sexúsue discrimine nullo, ferè semper bellè se habeant, εὔσαρκοι sint, & diuturnioris vitæ.

Ergo non est frigidæ potus ventriculo noxius.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL MARES, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.